

nae jussu Papae Pii II unitur provincia Dalmatiae sub uno vicario communi beato fr. Bernardino Aquilano,<sup>153</sup> ut iterum a. 1468 separentur Fratres ragusini, anno vero sequenti (1469) alii ex conventibus Dalmatiae, et in independentes Vicarias constituantur.<sup>154</sup> Demum a. 1514 Vicaria Bosnensis iterum dispergitur in duas partes: Vicariam Bosnae Argentinae — conventus sub Turcarum dominio completentem, et Vicariam Bosnae Croatiae quae conventus sub dominio christiano remanentes obtinuit.<sup>155</sup> Denique a. 1517, post divisionem Fratrum Conventualium ab Observantibus, omnes praedictae Vicariae in provincias transformantur.<sup>156</sup>

Usque ad erectionem Vicariae Bosnae videmus Franciscanos exire de conventibus Dalmatiae in Bosnam et circumiacentes regiones ac inibi munere inquisitorio haereticae pravitatis fungi. Nunc vero creatione Vicariae formata est communitas independens, quae amodo in se suscipiet obligationem per saecula duraturam praedicandi Verbum Dei, exercendi munus pastorale, manuducendi populum, efformandi cultum atque humanitatem quasi totam... in Bosna et Hercegovina, necnon ex parte in aliis etiam regionibus croaticis. Ex hoc vero multiplice labore nos ulterius indagare prosequimur solummodo de cura pastorali, quando scilicet et quomodo jus illam exercendi obtinuerit, aliis verbis — jus ad parochias.

### 3. De acquisitione curae pastoralis

De quaestione temporis, quando nempe Franciscani certe curae proprie pastorali vacare coeperint, aliqui tantum ex scriptoribus propriam sententiam protulerunt, nec in hoc quidem idem sentiunt.<sup>157</sup> Secundum P. C. Othmer e-

<sup>153</sup> Fer mendžin E., Acta Bosnae, 251 n. 1054; Lemmens L., B. Bernardini Aquilani Chronica fratrum minorum observantium, Romae 1902, 97.

<sup>154</sup> AM, ad an. 1468 n. 1—4 (XIII, 482—485); ad an. 1469 n. 8 (XIII, 505); Lemmens, o. c. 107—108.

<sup>155</sup> Fer mendžin, Acta Bosnae, 307 n. 1195.

<sup>156</sup> Rupčić, o. c. 68, nota 39.

<sup>157</sup> De hac quaestione cfr. Čapkun P., Postanak i pravno stanje fra njevačkih župa u Bosni i Hercegovini, in Nova Revija, XVI (1937), 115—118.